

**De comate somnolento ... / submittit, Carolus Christophorus Eisen.**

**Contributors**

Eisen, Karl Christoph, 1649-1690.

**Publication/Creation**

Basileae : Typis Joh. Rodolphi Genathii, [1674]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gage9dt2>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

PRÆSIDE  
DEO TER OPTIMO MAXIMO  
Theses has Medicas,


*De*  
**COMATE**  
**SOMNOLENTO:**

*Ex*  
*DECRETO & AVTORITATE*  
PROCERVVM SVMMI ORDINIS MEDICI,  
IN ILLVSTRI RAVRACORVM  
VNIVERSITATE  
*NOBILISSIMORVM*  
*GRATIOSISSIMORVM.*

*Pro*  
DOCTORATVS GRADV  
ritè obtinendo,

ERVDITORVM EXAMINI,  
*Ad diem 15. Julij, ANNO MDC LXXIV.*  
submittit,

CAROLVS CHRISTOPHORVS EISEN,  
Norimb.



*BASILEÆ,*





D E O:  
P A T R I Æ:



VENERANDO DN. PARENTI,

U I R O

*Nobilissimo, Amplissimo ac Consultissimo*

DN. JOH. CHRISTOPH. EISEN,

J. C T O, ac Reipublicæ, quæ Norimbergæ  
est, Advocato dexterrimo.

Theses has Inaugurales

*humiliter offert*

A V T O R.





*Quod caret alternâ requie, durable non est;  
Hæc reparat vires, fessaq; membra levat.*

**S**ententiæ hujus veritatem in naturali fundatam esse jure, necessaria somni & vigiliarum vicissitudo sufficienter nos docet, quam & venerandam impulisse antiquitatem, nullus dubito, ut tam magnificis somnum extulerint encomiis: *Ægineta enim in Tract. de Somno* demum in hæc prærupit: *Somnus moderatus animalium facultatum quies est, bona humiditate cerebrum rigante contingens: Quod si rectè admittatur, multa bona facere potest. Nam & cibos concoquit, & dolorem mitigat, lassitudinesq; lenit: sed & animalium affectionum oblivionem inducere potest, & emotam mentis rationem corrigere.* Ovidius quoq; non verebatur poetica utens licentia hosce canere versus:

*Somne quies rerum, placidissime, somne, Deorum,  
Pax animi, quem cura fugit, tu pectora duris  
Fessa ministeriis mulces, reparasq; labori.*

Quantæ idcirco calamitates in humanum redundare possint genus, si aut nimio divexentur somno, aut in eum solvi nequeant, miserè testantur afflicti: Caput enim corporis pars nobilissima, principum facultatum sedes, sensus motusque origo maximè cum in his tenetur affectibus, universum compati corpus necesse est. Eam ob causam sequenti Dissertatione Gratosô Medicorum Collegiô mihi imposita, Comatis Somnolenti Essentiam, Causas, & remedia, quibus profligandum erit, proponam: sed ut feliciter cedant, Fiant *Summo Archiatro Duce!*



# THESIS I.

**N** Omina cū suum in rebus ipsis fundamentum habeant, & consequenter in earum cognitionem nos deducant, paulò profundius in præsentis affectus ο'νομασολογίαν descensuri sumus, quæ Ε'τυμολογίαν, Συωνυμίαν, ὁμόνυμίαν complectitur.

## II.

Ε'τυμολογίαν quod attinet, Græcorum si accedamus confinia, κῶμα dicitur per syncopen, quasi κριμημα, à κριμαῖν, quod est dormire facio, alii δ'πὸ τῆ κωμάζειν, comestationibus indulgere, deducunt, ab inusitato verbo κῶ, quod est jaceo, unde Coma formatum credunt alii: alii aliter oriri putant.

## III.

Nunc ad Συωνυμίαν. Coma etiam exprimitur per Cataphoram, quæ vox δ'πὸ τῆ κάτω, quod deorsum, & φορά, quod est delatio, conflatur, quod ii, quos somnus urget, caput deorsum ferant. Arabibus subeth audit. Latini delationem in somnum vertunt, per quam intelligunt, quando ægri vigilare nequeunt, nec habentes oculos apertos, sed conniventes, sive profundis somnis, sive tenuibus, aut vigiliis destineantur, ex quibus differentia resultat usitata in Coma somnolentum, & Vigil, quorum prius nobis considerandum erit. Aliquando pro Marcore sumitur: Marcere enim torpere significat, atque languere, & inertiam teneri, unde Celsus de Lethargo dicit: *Marcor est inexpugnabilis dormiendi necessitas*, & Comatosos proin somnolentos & inertes appellat.

## IV.

Supereft ο'μωνυμία, sumitur vel generaliter, vel specialiter Coma. In priore significatione omnes soporosos affectus, ut Carum, Lethargum, Apoplexiam, &c. comprehendit, ut in libris Hipp. de Comate & Prorrhetic. ut & Galen. 3. de morb. vulgar. Artis Medicæ fulgentissimorum syderum, videre licet. In specie vero de Comate somnolento ab Authoribus dicitur. Cataphoram non minus generaliter accipi à Galeno lib. 13. M. M. pro omnibus affectibus soporosis, febris expertibus, ibi legere est. Nos de Comate somnolen-



nolento impræsentiarum acturi fumus , cujus descriptionem extruimus sequentem.

V.

Coma seu Cataphora , sopor est sine febre profundus, diuturnus, gravis, à quo ægri difficulter excitantur, vocati interdum respondent, sed statim obdormiscunt, ab impedito spirituum animalium in organa tam sensoria, quam motoria influxu, ortus.

VI.

Partem affectam cerebrum ponimus , tam secundum corticalem medullaremq; substantiam, quam quoad ventriculos ipsos: Spiritus enim animales, harum substantiarum poros, ventriculorumque cavitates, liberè permeare necesse habent, quò inoffensè in nervos sensui ac motui dicatos, peragendarum functionum gratiâ, cursum dirigere possint.

VII.

Causa proxima Comatis, quod modò per actionem sensus communis læsam, soporem nempe profundum definivimus , ut cæterorum symptomatum , morbus erit. Accusamus autem præprimis morbum organicum aliqualem scil. obstructionem ac compressionem, corticalis medullarisque substantiæ, ab humoribus aut vaporibus ortam ; Quod dum dicimus, simul inclusam volumus intemperiem frigidam humidam cum materia: Neque excludimus intemperiem occultam à Narcoticis inductam. Solam tamen frigidam eamque sine materia, non nisi rarissimè, si unquam hic accusandam putamus. Causa itaq; continens hujus obstructionis & intemperiei sunt humores, & vapores in cerebro contenti, sive inibi geniti, sive aliundè ex toto corpore, aut certis partibus sint delati. Humores & vapores illi sunt vel narcotici , spiritibus torporem , ne in itinere suo pergere possint, inducentes: vel serosi, pituitosi, frigidi, meatus ac poros aliquantulum obstruentes. Addimus cum Clarissimis Viris Fœl. Platero & Thom. Bartholino, scirrhosos cerebri tumores, spiritibus liberum in sensuum motusque organa transitum impredientes.

VIII.

Causæ antecedentes sunt iidem humores aliis adhuc



locis conclusi: Plethora quoque in toto corpore existens: Viscerum sanguificationi inservientium intemperies frigida, quæ sibi congeneres, crudos pituitosos, serosos humores concoquunt, iisque massam sanguineam suffercunt: Demum sanguinis seminisque in utero peculiari ratione corruptio, ut inde vapores narcotica vi impregnati mentis arcem petant. Neque enim manus damus Schneidero, qui in tractatu de affectibus capitis soporis, cap. de Cataph. & alibi diaphragma & collum, os naresque foramina patentia, cribri formis, ac cunei formis ossium occlusa objicit. Quin potius quotidianæ experientiæ, authorum rationes jungimus, & vaporum in cerebrum ascensum, per vasa sanguifera, vel secundum nervorum ductus, vel per meatus inconspicuos, cum omnia in nobis sint perspirabilia, asserimus.

#### IX.

Externarum Causarum in nostris corporibus immutandis magna inest vis, Teste Divino sene lib. de natura humana morbi proveniunt partim ex vivendi ratione, partim ex spiritu quem vivendo trahimus: has perlustremus; Hujus igitur affectus procreationem adjuvant; Aer frigidus, (id quod exemplo eorum confirmatur, qui tempore hyemali trans Helveticorum Alpes proficiscuntur, ubi frigore perculsi in somnum incidunt, eò ni excitentur coganturque ambulare, facile perirent,) humidus itidem caput replens, imo & calidus humores fundens, ac pituitam resolvens: Dein si carbonum fumò vel Mercurii evaporatione adulteratur, quæ sulphure suo narcotico, spiritus torpere faciunt. Cibi euchymi & eupepti multum sanguinis generantes, vel crudi, humidi, frigidi, intempestivè, copiosè adsumpti, qui ad cruditatum productionem & calid. nativ. destructionem valdè efficaces sunt. Potus aq. frigidæ immoderatus, ut & vini generosi ac fortis, quo caput vaporibus repletur, ac cujus narcotica vi spiritus torpidiores redduntur. Somnus longior, & à cibo statim celebratus. Otium nimium ac motus intempestivi: consuetæ vacationis vel à natura vel arte institutæ intermissio: Lætitia sanguinis generationem promovet, tristitiâ, irâ, &c. coctionis perfectio interturbatur. His adjungamus intempestivas capitis lotiones, casus impro-



improvisos, ictus, temporum ac cranii percussione, contusione, frequentem Medicamentorum Narcoticorum usum, venenaque assumpta. Brevi quicquid dictas in superioribus causas, vel prognerare vel earundem in cerebrum motum promoveri valet, inter procatacticas causas locum habere potest.

X.

Distinguimus Coma somnolentum in Idiopathicum & Sympathicum. Illud maximè cerebri, hoc aliarum partium vitiò ingruit.

XI.

Diagnosis sequitur, quæ respicit vel Partem affectam, vel Affectum ipsum, vel Causas.

XII.

Cerebrum affectam esse partem, actiones animales inde oriundæ, hocque affectu partim abolitæ, imminutæ, partim depravatæ, manifestant. Somnus enim qui tantum in cerebro fit, profundus, ac diuturnus reliquos sensus internos pariter ac externos ab operando diutiùs quàm naturaliter decet, cessare cogit. Imò destillationes ac catarrhi in externas ac internas partes delabentes, magnam in capite humorum saburram stagnare detegunt, doloris etiam invasio ejusq; proprietas, quæ cum tensione ac gravitate contingit, cerebrum male affectum haud obscurè indicant.

XIII.

Ipsam affectum & causas subsequencia clarè demonstrant signa: Intemperiei frigida materiaeque expertis indices sunt. Causa frigida externè afficiens, absentia omnis gravitatis, tensionis, punctiois, morsus, levamen à calidis, molestia à frigidis: Occultæ, malignæ, aliarum partium affectiones, ut & proficius alexipharmacorum seu opii vim infringentium usus: Obstructionis, seu compressionis, à pituita vel sero, capitis gravitas, mens torpida ac hebes, ingenii ac memoriae infelicitas, propensio ad somnum nunquam non magna, crebri defluxionum frigidorumque morborum insultus, ætas senilis, temperamentum frigidum ac humidum, obesus corporis habitus, cum venarum parvitate, cutis glabritie, palloreque faciei, usus quoque rerum



frigidarum consuetus, urinæ crassæ, albæ, pulsus rarus, mollis interdum undosus: Plethoræ, capitis gravitas cum calore, vasorum sanguiferorum circa caput distentio, faciei, oculorum, linguæ rubor, sanguinis aut naturæ aut artis ope evacuationis neglectio, dolor pulsans ac distendens, temperamentum sanguineum, ætas florida liberalis ciborum laudabilium assumptio, omniaque demum, quæ sanguini augendo apta sunt: Scirrhi, certos ferè nullos habemus, aut admodum obscuros indices, sensim enim solet crescere, diu durare, indies augmentum capere, aliorum affectuum quoque signa deesse, decentibus medicamentis ac præsidiis adhibitis, non cedere: Sympathici affectus, signorum per Idiopathiam significantium absentia, morbi partium aliarum præexistentes, & pro eorum vehementia ac remissione gravior vel mitior afflictio.

#### XIV.

Signa ab aliis affectibus similibus contra distinctiva sunt: A Comate vigili, quod non propensio solum, sed & profundus invadat somnus, nec adeò se jactent, huc illuc, neque delirent. A Caro, ubi somnus profundissimus, insensibilitas, immobilitasque percipitur tanta, ut puncti, vix oculos aperiant, nec loquantur: A Lethargo propter febris absentiam: Ab Apoplexia, quam motus & sensus abolitus, stertor notabilis, difficultasque respirandi comitantur, quæ hoc in affectu omnia multò aliter se habent: A Syncope, quâ laborantibus facies est mortuis simillima, cum pulsu languido parvo, contra in hoc.

#### XV.

Prognosin formamus hanc in genere, malum non est negligendum somnus & vigiliæ si modum exceßerint malum, 2. Aph. 3. & 1. Prorrhetic. 2. Omnis somnus profundus à causa morbifica ortus, malus est. In specie verò Coma, quia in Lethargum, Carum, & Apoplexiam facile potest transire, periculi præsagium auget, si diu urget hoc malum, à quo facultas animalis, dein & vitalis frangitur. Morbo acuto superveniens periculi plenum Gal. 3. Epidem. comm. 1. vel 7. judicat. Non minus exitiosum est, si morborum calidorum frigidorumq; insignem sequitur refrigerationem. Senili ætati mor-



ti mortiferum. Idiopathicum curatu difficilius sympathico:  
Breviter terminatur, cum tam nobilis spirituum animalium  
officina diu haud moleste affecta detineri possit. Ad salu-  
tem finiri solet, vires si vigent robore, quò materiam mor-  
bificam sibi que gravem valeant excutere, natura que, victò  
hoste, crisin moliri potens sit.

#### XVI.

Absolutà affectus hujus Theoriâ, nunc Curam aggre-  
diamur, quam ob causarum varietatem, & ipsam variare  
necesse est, itaque adhibita quadam restrictione, singulis ac-  
commodemus ipsam; Consistet enim in rationali per in-  
dicationes inventionem præsidiorum. Illæ triplicis ordinis  
habentur: Curatoria, Præservatoria & Vitalis.

#### XVII.

*Curatoria* morbo ac causæ continenti debetur, quæ, quâ  
ratione per contrariorum usum morbi amovendi, & causa  
continens alteranda sit, monstrat. Intemperies igitur fri-  
gida, calefacientia, obstructæ viæ, aperientia exigunt, hu-  
mor verò pituitosus, viscidus, crudus, morbum fovens, in-  
cidentia, detergentia, attenuantia & vacuantia, Narcotica  
alexipharmaca, postulant.

#### XVIII.

*Præservat*: causas respicit antecedentes, & externas,  
quæ amotionem ipsarum suadet, vel per alterationem &  
vacuationem, si humor, vaporesve in cerebro nati sunt, ab  
eo revellendos, si ab alio foco eò amandantur, retrahendos,  
repellendosque imperat.

#### XIX.

*Vitalis* demum quæ viribus invigilat, minimè est ne-  
gligenda, ne ægrum dubiæ exponamus spei, itaque tum to-  
tus, tum partium restauratio citò est suscipienda. Hos feli-  
citer ut obtineamus scopos, nobis præstò sint remedia, ex  
tribus fontibus, Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico.

#### XX.

*Curatoria* igitur his satisfacimus: Medicus ad Coma-  
posum vocatus, solùm eo labore, ut ægrum à profundo con-  
estum excitet somno, idque fiet sonos, strepitus excitando,  
proprium ægrotantis nomen sæpius exclamando, minus  
suffi.



sufficiencia cum omnia hæcce comperiantur, descendat in *Chirurgiam*, quæ ipsi exhibet vesicatoria capiti applicanda quæ Horstius Observat. lib. 1. cap. 18. tanquam palmarium decantat remedium, nullumque par habere inter cætera putat: Cucurbitam eamq; magnam summô cum ægri solati commissuræ futuræ coronalis & sagittalis imponendam Dolorificas extremitatibus ligaturas injiciendas: fortiores frictiones crebrius instituendas: Pilos variis in locis vellendos, evellendos. *Ex Pharmacia* depromuntur plurimæ quæ sopitam excitare possunt facultatem, ut sunt acria, ingrata sensibus, castoreum nempe, ruta, plumaque oleo succini irrigata, & naribus admota: Aq. cephalic. ut Bauhin. Langii, Eraſti, flor. til. lil. convall. major. & similes subinde cochleatim exhibendæ: Pulveres ptarmici, ut & usus apoplegmatismorum ac masticatoriorum maximæ utilitatis est experientiâ confirmatur, contra se res habet cum suffumigiis, ex gummis, sulphure & aliis ardentibus injectis carbonibus, quæ ob metum organorum pneumonicorum repletionis, non probamus.

## XXI.

*Præservatoria* subsequencia nobis facienda imperant ut ad *Chirurgicum* ægrum deducamus fontem, ex quo generosum V. S. præsidium desumere possumus, quod tamen pro ægri viribus ac corporis conditione, (in alterutro cubito revulsionis ac vacuationis, sub lingua, in collo derivationis gratia) moderandum est, potissimum si malum plethoræ originem debet, copiâ enim sanguis spiritus soffocat.

Si verò virium imbecillitas id dissuaderet, V. S. viarias cucurbitulas in locis consuetis cum scarificatione applicatas in usum vocare conducit. Fonticulorum inusum non inutilis ab Authoribus censetur. *Ex Pharmacia* variegata propullulant medicamenta, uti nunc videre erit. Clyster enim emolliens, irritans, materiam ad caput affluentem revellens, injiciatur, & ex his posset concinnari; Rad. Al. malv. bis malv. Herb. rut. puleg. calaminth. cent. min. Fl. stœch. pœon. chamomill. melilot. Sem. anis. nigell; in huiusmodi decoctione dissolvantur, Elect. hier. picr. Logad. ben. dict. laxativ. oleum rutaceum, ac aneth. sal gemm. Dec.



Etum Croc. metall. ob celerem effectum, in secretis est nonnullis, sed minus ritè præparatus acrimoniâ suâ intestinis mirificos infligeret cruciatus, idcirco hujus usum, cui placet, relinquimus.

Suppositaria ejusdem utilitatis æstimantur, ex Elect. diacolocynth. pulv. hier. picr. Ellebor sal gemm. cum melle.

His peractis, cacochymicum purgandum erit corpus, præparantibus tamen humores legitimè præmissis; huic scopo inservient talia: Rad. aperient. Enul. camp. pœon. Zedoar. Herb. betonic. calaminth. hyssop. lavend. majoran. rut. serpill. Flor. anth. lilior. convall. Syr. Byzantin. capill. veneris, de menth. de stœchad. oxymell. simplex & scillit. his & ea, quæ vaporum narcoticorum vim infringunt, admisceri queunt, v. gr. Castoreum, succus limonum, citri aliaque plura. Præparatum humorem deturbant phlegmagoga propriè dicta, ut Agaricus, Colocynth. Mechoac. Rad. Jalap. Turbith. Pill. de hier. picr. cum agarico, Syrup. de cartham. Oxymell. Elleborat. maj. Jul.

Vomitoria legitimè usurpata magnum de se promittunt auxilium, si materia circa ventriculi regionem stagnet, & sursum repere animadvertatur, sint talia, primò lène, ut hydroleum, fortius ut pulv. rad. asar. fortissimum, Croc. metall. decenter præparatus.

Inunctiones quoque in futura coronali, temporibus ac toto capite, abrasis prius pilis, ex oleo castorei, irin. aneth. instituuntur.

## XXII.

Ne verò in tanto naturæ cum morbo conflictu vires deficiant, tum totius tum partium refocillationi unicè incumbendum, quæ tertia est indicationum, *Vitalis* scil. implent morum vires, Conf. alkermes, compl. Aurea Alexandr. moschus, ambr. Zibeth. si id ægrotantis natura ferat; Conserv. betonic. anth. lavend. pœon. stœchad. Nux Ind. condit. Rad. calam. aromat. codit. Aq. cephal. dictæ, olea destillata aromaticum herbarumque fragrantium, imò si Schönbornio credendum, lap. semilunaris supra Carpionum oculos positus. Proposui itaque huc usque curam Comatis Idiopathici. Restaret Sympathici tractatio, quod, quia à variis, variarum partium



partium vitiis originem ducit, illa omnia figillatim profici  
qui instituti nostri non est, properemus idcirco ad *Dietam*.

### XXIII.

Talem præscribimus ipsi; Aër sit purus, lucidus, ad ca-  
liditatem vergens: Cibi parciori manu sunt dandi, si ve si  
euchymi, si ve eupepti, juscula conveniunt herbis cephalici  
aceto alterata, vel aromatibus condita, carnes assatæ, no-  
elixæ profunt: potus sit ptisana vel alius medicamentosu  
decoctum chinæ magnis extollunt laudibus, vinum pro  
scribatur, consuetis tamen parcius dandum: somnus quo-  
vis modo interrompendus est: Instituantur exercitia se-  
moderata: Evacuationes tam naturales quàm artificiales  
respondeant, fortè si harum aliqua deficeret, citò ad offi-  
cium reducenda: Animi pathemata, potissimum cogitatio-  
nes ac ratiocinationes utiles esse, Gal. 6. Epidem. comm.  
Aph. 11. docet; Ad iram irritandi, subitanæ vel jucu-  
dorum vel ingratorum relationes non improbandæ sunt  
cujus exemplum Horatius serm. libr. 2. Satyr. 3. de ava-  
quodam opimo proposuit. Et hac de præsentis affe-  
ctus Natura, Causis, Signis ac Cura pro  
tempore sufficiant

Ἀρχιτρω Χειρῶν λόξα ἀείδε Θεῶ.

